

est dies criticus, & propterea à Galenò πρώτη ἡμέρα, PRIMUS vocatur libro 1. de diebus decretoriis. Excretio autem laudabilis evadit, si cum impetu & confertim antegressâ perturbatione per loca conferentia fiat.

DE ABSCESSU etiam hîc notandum est, quòd ille bonus sit, qui à parte nobili justò tempore ac modò repentinò concoctâ jam tum materiâ fit, & infra, procul & capacem occupavit locum. Locus præprimis totius materiæ capax esse debet, aliàs nullum indè levamen, sed potius mors expectanda. Historias hujuscemodi adnotatas vide apud Hippocratem 1. epidem. comm. 3. t. 26.

INFELIX EXCRETIO, vel abscessus ex his metuitur, & infelicem salutis eventum prædicit, cùm humorum observatur magna malignitas & ingens corruptio, & de cæteris animadvertitur contrarium. Falsa crisis nulla crisis; solet enim mortem accelerare. Ægrotis magna spes salutis affulget, si liberalis humorum vitiosorum excretio sequatur; contra malè res ægrotantium stant, si pro largâ pauca contingat crisis, quæ mala est fidei. Ita pro hæmorrhagiâ σίξις, stillicidium naris exiguum; pro sudore ἑφίδρωσις, levis & crebra sudatiuncula; pro excretionem per ampla loca vasis amplis prædita, abscessus fiunt post aures, vel prope cutim ἰξείθημα.

## CAPUT XXXIV.

### Causi in alios morbos terminatio.

TERMINATIO ardentis per bilis in habitum corporis effusionem nota est.

AD SALUTEM ea tendit transmutatio icterica juxta aphor. Hippocr. 64. libr. 4. ὀκρόσειαν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῆ ἐβδόμη, ἢ τῆ ἐνάτῃ, ἢ τῆ ἐνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαίδεκάτῃ ἰκτεριδιόσιν γίνονται, ἀγαθόν ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ἢ ἢν ἢ μὴ, σκληρὸν ἀγαθόν. Quibus morbus regius in febris septimò, vel nonò, vel undecimò, vel decimò quartò supervenerit, bonum; nisi dextrum hypochondrium obduruerit. Si verò non, non bonum. Notabilis etiam est ille aphorismus, cujus in coa-